

104. *Quam impietatem stabilivit etiam Conciliabulum Tridentinum, per detestandam audaciam anathematis gladium stringens in eos, qui negarint, Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato. Sess. 7. Can. 8. d. 3. Mart: 1547.*

105. *Etsi verò non negamus, Sacramentorum legitime administratorum vim atque efficaciam longè esse maximam: eam tamen vel per magicam aliquam incantationem Sacramentorum elementis velle adscribere: vel ex operis nostri dignitate suspendere, blasphemum esse statuimus.*

106. *Vt enim Sacramenta suam vim ex sola institutione Christi Servatoris obtinent: ita iisduntaxat ea obtingit, qui benè, hoc est, fide Sacramentis utuntur.*

107. *Quò respicit vetus illud: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat.*

108. *Huic Pontificiorum errori enumeramus & illum, quòd sic edocti à Magistro suo sententiarum, septem comminiscuntur Sacramenta propriè sic dicta, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Confirmationem, Ordinem, Conjugium, & extremam unctionem. Pet. Lomb. l. 4. Sent. dist. 2. lit. A. Concil. Trid. sess. 7. c. 1.*

109. *Rationes & fundamenta huius commentii si quis exquirat, nihil ex sacrarum literarum oraculis, nihil ex orthodoxorum patrum monumentis:*